

König Lear: Gesta Romanorum 273

Theodosius in civitate Romana regnavit prudens valde et potens; qui tres filias pulchras habebat, dixitque filiae seniori: "Quantum diligis me?" At illa: "Certe plus quam me ipsam." Ait ei pater: "Et te ad magnas divitias promovebo." Statim ipsam dedit uni regi opulento et potenti in uxorem. Post haec venit ad secundam filiam et ait ei: "Quantum diligis me?" At illa: "Tantum sicut me ipsam." Imperator vero eam cuidam duci tradidit in uxorem. Et post haec venit ad tertiam filiam et ait ei: "Quantum me diligis?" At illa: "Tantum sicut vales et non plus neque minus." Ait ei pater: "Ex quo ita est, non ita opulenter ero maritare sicut et sorores tuae." Tradidit eam cuidam comiti in uxorem.

Accidit cito post haec, quod imperator bellum contra regem Aegypti habebat. Rex vero imperatorem de imperio fugabat, unde bonum refugii habere non poterat. Scripsit litteras anulo suo signatas ad primam filiam suam, quae dixit, quod patrem suum plus quam se ipsam dilexit, ut ei succurreret in sua necessitate, eo quod de imperio expulsus erat. Filia cum has litteras eius legisset, viro suo regi casum primo narrabat. Ait rex: "Bonum est, ut succurramus ei in hac sua magna necessitate. Colligam exercitum meum et cum toto posse meo adiuvabo eum." Ait illa: "Istud non potest fieri sine magnis expensis. Sufficit, quod ei concedatis, quamdiu est extra imperium suum, quinque milites, qui ei associentur." Et sic factum est. Filia patri rescripsit, quod aliud auxilium ab ea habere non posset nisi quinque milites de sumptibus regis in societate sua. Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde et infra se dicebat: "Heu mihi, tota spes mea erat in seniore filia mea, eo quod dixit, quod plus me dilexit quam se ipsam, et propter hoc ad magnam dignitatem ipsam promovi." Scripsit statim secundae filiae, quae dixit "Tantum te diligo quantum me ipsam", quod succurreret ei in tanta necessitate. At illa cum audisset, viro suo denuntiabat et ipsi consiliavit, ut nihil aliud ei concederet nisi victum et vestitum, quamdiu viveret, honeste pro tali rege, et super hoc litteras patri suo rescripsit. Imperator cum hoc audisset, contristatus est valde, dicens: "Deceptus sum per duas filias. Iam temptabo tertiam, quae mihi dixit 'Tantum te diligo, quantum vales.'" Litteras scripsit ei, ut ei succurreret in tanta necessitate, et quomodo sorores suaes ei respondebant. Tertia filia cum vidisset inopiam patris sui, ad virum suum dixit: "Domine mi reverende, mihi succurre in hac necessitate! Iam pater meus expulsus est ab hereditate sua." Ait ei vir eius: "Quid vis tu, ut ei faciam?" At illa: "Exercitum colligas et ad debellandum inimicum suum pergas cum eo!" Ait comes: "Voluntatem tuam adimplebo." Statim collegit magnum exercitum et sumptibus suis propriis cum imperatore perrexit ad bellum. Victoriam obtinuit et imperatorem in imperio suo posuit. Tunc ait imperator: "Benedicta hora, in qua genui filiam meam iuniorem. Ipsam minus aliis filiabus dilexi et mihi in magna necessitate succurrit, et aliae filiae meae defecerunt, propter quod totum imperium reliquero post decessum meum filiae meae iuniori." Et sic factum est. Post decessum patris filia iunior regnavit et in pace vitam finivit.

König Lear: Geoffrey of Monmouth, Hist. reg. Brit. II 11

Der Stoff, den Shakespeare zu seiner Tragödie „King Lear“ gestaltet hat, lag ihm in der Chronik von Holinshed vor, der er auch viele andere Dramenstoffe entnahm. Die Quellen aber sind älter. Eines der Hauptmotive, die Frage des Vaters nach der Größe der Liebe seiner Kinder, ist bereits bei Gottfried (Geoffrey) von Monmouth (12. Ihdt) mit dem Namen eines sagenhaften altbritischen Königs verbunden.

Dato igitur fatis Bladud erigitur Leir eiusdem filius in regem, qui sexaginta annis patriam viriliter rexit. Aedificavit autem super fluvium Soram¹ civitatem, quae Britannice Kaerleir, Saxonice vero Leir-Cestre nuncupatur. Cui negata masculini sexus prole natae sunt tantummodo tres filiae vocatae Gonorilla, Regan, Cordeilla. Qui eas miro amore, sed magis natu minimam, Cordeillam videlicet, diligebat. Cumque in senectutem vergere coepisset, cogitavit regnum suum ipsis dividere easque talibus maritis copulare, qui easdem cum regno² haberent. Sed ut sciret, quae illarum maiore regni parte dignior esset, adivit singulas, ut interrogaret, quaenam ipsum magis diligeret. Interrogante ergo illo Gonorilla prius numina caeli testata est patrem sibi plus cordi esse quam animam, quae in corpore suo degebat. Cui pater: „Quoniam senectutem meam vitae tuae praeposuisti, te, charissima filia, maritabo iuveni, quemcumque elegeris, cum tertia parte Britanniae.“ Deinde Regan, quae secunda erat, exemplo sororis suae benivolentiam patris allicere volens iureiurando respondit se nullatenus conceptum³ exprimere aliter posse, nisi quod ipsum super omnes creaturas diligeret. Credulus ergo pater eadem dignitate, quam primogenitae promiserat, cum alia tertia parte regni eam maritavit. At Cordeilla ultima, cum intellexisset eum praedictarum adulacionibus acquiesuisse⁴, tentare illum cupiens aliter respondere perrexit⁵: „Est uspiam, mi pater, filia, quae patrem suum plus quam patrem diligere praesumat? Non reor equidem ullam esse, quae hoc fateri audeat nisi iocosis verbis veritatem celare nitatur⁶. Nempe ego dilexi te semper ut patrem nec adhuc a proposito meo divertor. Etsi a me magis extorquere insistis, audi certitudinem amoris, quem adversus te habeo, et interrogationibus tuis finem impone. Etenim quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo.“ — Porro pater ratus eam ex abundantia cordis dixisse vehementer indignans, quod responsurus erat, manifestare non distulit: „Quia in tantum⁷ senectutem patris tui sprevisti, ut vel⁸ eo amore, quo me sorores tuae diligunt, dedita es diligere, et ego te dedita nec umquam in regno meo cum tuis sororibus partem habebis. Non dico tamen, cum filia mea sis, quin te externo alicui, si

¹ Sora civitas: heute: Soar

² cum regno: mit einem entsprechenden Teil des Reiches

³ conceptus, conceptus m.: Gedanke

⁴ acquiesco 3: sich zufrieden geben

⁵ pergo 3: sich anschicken

⁶ nisi ... nitatur: es sei denn, dass sie sich bemüht

⁷ in tantum: so sehr

⁸ vel: auch nur

Rezeption

illum fortuna obtulerit, utcumque¹ maritem. Illud autem affirmo, quod numquam eo honore, quo sorores tuas, te maritare laborabo, quippe cum te hucusque² plus quam ceteras dilexerim, tu vero me minus quam ceterae diligas."

Nec mora, consilio³ procerum regni dedit praedictas puellas duas duobus ducibus, Cornubiae⁴ videlicet et Albaniæ⁵ cum medietate⁶ tantum insulae, dum ipse viveret, post obitum autem eius totam monarchiam Britanniae eisdem concessit habendam. Contigit deinde, quod Aganippus, Francorum rex, fama pulchritudinis Cordeillæ audita continuo nuncios suos ad regem direxerit rogans, ut Cordeilla sibi coniugali teda⁷ copulanda traderetur. At pater in prædicta adhuc ira perseverans respondit sese libenter illam daturum, sed sine terra et pecunia. Regnum namque suum cum omni auro et argento Gonorillæ et Regan, Cordeillæ sororibus, distribuerat. Cum id Aganippo nunciatum fuisset, amore virginis intflammatus misit iterum ad Leirum regem dicens se satis auri et argenti aliarumque possessionum habere (quia tertiam partem Galliae possidebat), se vero tantummodo puellam captare, ut ex illa haeredes haberet. Denique confirmato foedere mittitur Cordeilla ad Galliam et Aganippo maritatur.

¹ utcumque: wie nur immer

² hucusque: bisher

³ consilio procerum: nach Beratung mit den Edlen

⁴ Cornubia, -ae f.: Cornwall

⁵ Albania, -ae f.: Albany

⁶ medietas, medietatis f.: Hälften (Jede erhielt also zunächst nur ein Viertel des Reichs.)

⁷ teda, -ae f.: Heirat